



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio II. De iis, qui appellare possunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad Iudicem superiorem causam v. g. deferret. Causæ autem, ob quas appellationis remedium introductum est, sunt plures. Prima est, ut gravamen iniquè illatum removeatur. Secunda, ut iniquitas, seu imperitia Iudicum corrigatur. Tertia est, ut læsus per propriam ignorantiam, vel negligentiam jus suum consequi possit, & hinc appellatio propriè dicta, quoad substantiam, est juris naturalis, quia est præsidium innocentiae, quoad formalitates verò, seu solemnitates appellationis, est juris positivæ.

§. II.

Quid sit supplicatio, & quomodo ab appellatione differat?

Supplicatio propriè & strictè dicta, sicut in hoc titulo accipitur, aliud non est, quàm humilis petitio, per quam allegat læsionem, sive gravamine, à Principe v. g. petitur, ut sententia lata contra supplicantem, ex mera gratia & benignitate Principis retractetur; cum enim ordinariæ appellationis remedium huic fortasse non competat, æquum videbatur, ut extraordinario remedio supplicationis ei succurratur. Differt autem ab appellatione primò, quòd appellatio suspendat executionem sententiæ, non autem supplicatio strictè dicta, (quæ cum meram gratiam quærat, executionem impedire non debet) sed cautio ab eo, pro quo lata est sententia, præstari debet de restitutione faciendâ, si supplicans causam obinebit. Secundo differunt inter se appellatio & supplicatio hæc, quòd appellatio fieri debeat intra decem dies à lata sententia, supplicatio autem institui potest usque ad bien-

nium, ita tamen ut si non fiat intra decem dies, sed intra duos annos, executio sententiæ fieri possit, etiam nullâ præstitâ satisfactione. Tertio differunt, quòd appellatio fiat ad Superiorem Iudicem; supplicatio verò plerumque ad eundem Iudicem, Principem v. g. qui sententiam tulit. Quarto differunt, quòd appellatio sit remedium ordinariæ in iustitia fundatum; supplicatio verò sit remedium extraordinarium in gratia Principis, cui supplicatur, fundatum, &c. posterioribus tamen his temporibus beneficium revisionis ad exemplum supplicationis, introductum est, ita tamen, ut etiam revisio hæc, à vera supplicatione differat, quæ non suspendit executionem sententiæ, ut dictum, cum tamen revisionis beneficium suspendat executionem sententiæ, donec causâ cognitâ constare possit, rescindendam sententia sit, an confirmanda, vel reformanda.

SECTIO II.

De iis, qui appellare possunt?

§. I.

Quibusnam in genere appellare permissum sit?

Appellare potest, non tantum ille, contra quem sententia lata est, sed quilibet alius, cujus interest ex aliqua causa, non ita fuisse judicatum, etiam si iudicio non intervenierit, ut ex dictis jam patet, ita ut non tantum suo nomine, sed alieno etiam nomine appellare possit

CCC 2

possit

possit Procurator v. g. pater pro filio, aut alius ratione commissionis, &c. modò ratam habeat talem appellationem, cujus nomine appellatum est; quin etiam fieri nonnunquam potest, ut utraque pars litigantium à sententia lata appellare possit, quatenus ea ipsis in diversis articulis contraria est, si tamen à Iudice etiam talis articuli decisio petita fuit: spectanda tamen est consuetudo tribunalium.

§. II.

An in causa pluribus communi unus tantum appellare possit sine ceteris?

Fieri hoc posse, ita ut hujus in causa appellationis victoria, etiam aliis proffit, si communi jure juventur, & idem negotium, eademque defensionis causa existat, ex *o. Vna 72. h. t.* patet, si tamen correi fuerint, in eadem causa, & per eandem sententiam condemnati, neque unus illorum sententiam primæ instantiæ expresse vel tacite approbaverit, cui loci appellatio nihil prodesset, cum sponte suâ ei renuntiaverit, aut tacite sententia in casu appellationis contra unum ex correis lata, semper alteri correo nocet quoad condemnationem, prout sumitur ex *o. Significasti 5. de adulter.* cum alteri non debeat auferri necessaria defensio, neque præjudicium generari ex condemnatione alterius.



§. III.

De aliis nonnullis in specie de quibus dubium esse poterat, an appellare possint?

Dubitari potest primò, utrum illi qui juravit paritum se mandatum Ecclesiæ, possit non obstante hoc jamento à sententia & præcepto, quod injustè gravari putat, appellare? *re. quæ sic, prout sumitur ex c. Ad hoc 21. de quia juramentum generaliter præterea explicari debet, juxta limites juris & justitiæ, neque extendendum ad obligationem iniustam, & iniuste gravatam & hinc quamvis juraverit aliquis durum se sententiâ Iudicis, qualitercumque illa fuerit, adhuc tamen, si per sententiam iniquè opprimatur, appellare potest, eò quòd verba hæc generaliter extendant se ad sententiam iniquè gravantem. Si tamen in tali casu firmiter tùm sine justa causa & solius subrepti gratiâ appelletur, nulla est appellatio, prout etiam patet ex *o. quæstioni 2. de quod Capitulum ne priori contradicatur in hunc sensum accipi debet.**

Dubitari potest secundò, an licet appellet Reus, si contra Procuratorem Actoris excipiat in iudicio, quòd mandatum, vel si excipiat, quod coram alio Iudice prius jam convenerit ex delegatione Papæ, cujus prioriores litteræ nullam mentionem faciunt, & in neutro casu audiat. *re. affirmativè, quòd in utroque casu scilicet licet appellet, prout statutum habetur in *o. Significavit 48. h. t.* cum utrobique in iustum ipsi gravamen imponatur.*

Dubitari potest tertio, an licet appellet

let Reus, conventus in iudicio actione reali, si petat rem in Libello petitam declarari seu obsignari, & non audiatur. 2. quod licet appellet, cum etiam hic iniuste à Iudice gravetur, qui negat illi quod à jure petendum conceditur. c. 2. de Libell. oblat.

Dubitari potest Quartò, utrum Tutor, an mater tutorum filiorum, si nomine pupilli aut pupillorum inviti conveniantur in iudicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo inchoandis, licet possint appellare? Respondetur ex c. ex parte 67. h. e. quod licet appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litiis conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen lis aliqua cum Tutore, pupilli nomine, tempore tutelae coepita fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela, proseguere, nisi omnis administratio in Curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

§. IV.

De iis, quibus non est permissum appellare.

Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt se nolle venire, in poenam scilicet verè contumaciae, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se litem expressè vel tacitè approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimæ appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent, ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt. c. Constitutus 23.

& c. Anst. 42. h. t. Quarto appellare non possunt, qui propria voce, ac sponte in iudicio confessi fuerunt, & clarè ac plenè probatione convicti, quia talis appellatio praesumitur interposita subterfugii tantum causa &c. si verò tantum confessus aliquis fuit in iudicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, & nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem Iudicis à quo impediret, sed tantum devolutivum, vi cuius inhibere potest executionem Iudex ad quem; juxta c. Romana 3. §. Si autem b. t. in 6.

SECTIO III.

De sententiis, vel actibus, à quibus appellari potest, vel non potest.

§. I.

A quibus sententiis & in quibus causis sit licitum appellare?

IN genere loquendo appellari potest à quacunque sententia valida, nisi expressè in jure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quæ nemini facile negari debet. Spectato tamen jure civili non nisi à sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litem prorogationem, quæ de hoc jure, nisi intra triennium expediantur, expirant) nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivae, vel post eam non speretur definitivae.

Ccc 3 fini-